

PHILIPPI MELANCHTHONIS.

Postquam autem dictum est, temperamentum & inclinationes ab astris oriri, iam prudentes cogitent magnam quidem partem hæc initia actionum comitari, ut dicitur:

Naturæ sequitur semina quicq; suæ.

Sed tamen cum sint tantum partiales causæ, actiones aliunde regi possunt. Ac necesse est eos qui disciplina quadam regere uitam & mores uolunt, scire triplices esse diuersissimas actionum humanarum causas. Visitatissima est uoluntas, quæ aut assentitur, aut repugnat temperamentis: ut C. Cæsar repugnat iracundiæ, cum uictos principes in patriam reuocat.

Alia causa principalis est Deus: ut cum accenditur Dauid, ut prælietur cum Goliath. Hæc actio, & similes quales sunt piorum multæ, non carent stellarum uiribus aut temperamentis. Sed sunt motus diuini, quos ideo diligenter considerari prodest, ut nos adsuefaciamus ad petendam à Deo gubernationem. Multæ sunt prauæ in omnibus inclinationes, & ut sint bonæ, tamen magna est hominum infirmitas, & errores, ac hallucinationes plurimæ. Quare opus est diuina gubernatione, ut in Psalmis subinde dicitur: Deduc me Domine in uia tua. Estq; sapientia necessaria bonis mentibus, scire Deum non alligatum esse ad causas secundas, sed liberrimè flectere mētes hominum ad salutaria consilia, etiam si naturæ inclinationes tetraminantur. Aspiciamus igitur nos ipsos, & nostros quos regere debemus, nec nos solos hāc nostram Argon gubernare posse arbitremur. Sed adiungamus nobis Deum rectorem, ut toties Deus ipse præcipit. Et Christus inquit: Quanto magis pater cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus.

Tertia actionum causa est Diabolus. Nam Neronis furores non à temperamento tantum oriuntur, ac innumerabiles homines bonis naturis prædicti horribiliter in scelera ruunt, & opprimuntur tristissimis causibus, ut Saul, Oedipus, quorum facta & euentus non ad causas cœlestes referuntur, sed ad Diabolum.

Hanc causarum diuersitatem in uita profectò necesse est considerari, ut ubi natura conformanda sit, ubi reprimenda, quam ualde opus sit gubernatore Deo, & quanta uigilantia cauendæ sint insidiæ Diaboli, cogitemus. Hæc philosophia digna est bonis & doctis, & prodesse eam illi sciunt, qui eam utcunq; exercent.

Quid est disciplina honesta, nisi hæc diligentia regendæ uitæ, quæ nisi prospectis causis existere non potest? Utilem igitur esse ad mores regendos hanc diuinatricem manifestum est, quæ naturæ inclinationes monstrat, ut bonæ excitentur arte, & uiciosis frenum iniiciatur. Nunc

β η facilis